

Blasphemos pluribus in locis ob invalescentem ab-  
usum blasphemandi exacte non observetur, tamen  
recte monet Clarus §. Blasphemia, nu. 3. cum aliis  
ibidem allegatis, id fieri ex defectu Justitiæ, &  
Religionis, cum utraque hæc virtus exigat, ut  
nil magis puniatur, & terrore poenæ extirpetur  
quàm Blasphemia, utpote vitium omnium maxi-  
mum. Unde eadem multis in locis adhuc sunt  
in usu, uti in Bavaria, ubi licet arbitrio Judicis  
relinquatur, Blasphemiam pro diversitate delicti &  
personarum punire Lib. 5. Tit. 7. (der Lands und  
Policey-Ordnung.) Tamen experientia habemus,  
quod in Bavaria plures blasphemii etiam amputa-  
tione linguæ & capitis fuerint puniti; iusto id exi-  
gente arbitrio Judicis.

24 Illud tamen notandum, quod si quis in plena  
cibrietate, vel etiam ex calore & impetu iracun-  
diæ ortum habentis ex gravi & iusta causâ blas-  
phemat, ordinariæ poenæ non subiaceat, sed mi-  
nistratio Judicis puniri debeat, Clarus v. Blas-  
phemia, num. 6. & Farinac. Prax. Criminal. quest.  
20. num. 47. Menochius de Arbitr. Judic. casu 37.  
num. 33. cum communi aliorum, arg. c. 2. h. t. ibi:  
Presumpserit; quod importat deliberationem, quam  
ebrii non habent, nec satis habere censentur ira-  
cundi, utpote qui nesciunt quomodo, & quid  
agent.

25 Dicitur autem notanter, ortum habentis ex gra-  
vi, & iusta causâ, ut si v. g. vir uxorem in Ad-  
ulterio deprehendens, irâ commotus blasphemat;  
si enim iracundia, ex levi, vel etiam gravi quid-  
em, sed injustâ causâ proveniat, v. g. si quis ju-  
ste privatus Officio, aut aliis graviter panitus,  
vel ob perditam lusu magnam Summam pecu-  
nariam, indeque irâ commotus blasphemat, poe-  
næ ordinariæ, & per consequens etiam ultimo  
supplicio subiacet: Doctores citati, Pirhing h.  
t. numer. 11. Abbas in cit. c. 2. h. t. num. 6. & alii  
communiter.

26 Notandum insuper, illos, qui sine respectu erga  
Deum, & Sacramenta, sed vel ex subitaneâ  
irâ, indignatione, aut ex prava consuetudi-  
ne in Germania, proh dolor! satis vigente blasphemant  
per Sacramenta, dicendo v. g. Gotts Sacrament  
Gotts tausend und Million Sacrament &c.  
Poenas ordinariæ non incurere, bene tamen ex-  
traordinariæ, quæ in Bavaria nostra per Judi-  
ces magis tinentes Deum omnimò imponitur,  
juxta dispositionem statutorum Bavaricæ cit. lib.  
5. Titul. 7. articulo 2. (der Lands- und Policey-  
Ordnung.)

27 Queritur III. Quis sit Judex Blasphemiæ? Resp.  
I. Si Blasphemia est hæreticalis, seu habens con-  
junctam Hæresin, Judex illius est solus Ecclesia-  
sticus. Patet Conclusio ex dictis Tit. VII. de Hæ-  
retic. ubi in causâ Hæresis solus Ecclesiasticus  
competentem Judicem esse, clarè probatum habe-  
tur. Limita tamen Conclusionem juxta dicenda  
numer. 29.

28 Resp. II. Si Blasphemia non hæreticalis sed sim-  
plex est iuxta dicta num. 16. est mixti Fori, & da-  
tur locus præventionis, ita tamen, ut si unus v.  
g. Judex Ecclesiasticus illum punit, per hoc non  
impediatur Judex secularis, quin Blasphemum etiam  
in suo Foro punire valeat, ac contra Farinac. q. 20.  
n. 39. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. Allegat. 51.  
n. 93. Abbas in c. fin. h. t. n. 9. Sanch. lib. 2. Moral. cap.  
32. n. 37. & alii, arg. c. 2. h. t. ibi: Per Episcopum poenâ  
subdatur, & per temporalem Possessionem mulctetur.

29 Notandum tamen, consuetudine in his partibus  
passim vidente Judices seculares etiam Blasphe-  
miam hæreticalem judicare & punire; idque ut  
apparet, idèd, quod etiam Blasphemiæ hæreticales,

v. g. Deus non est justus, ordinariæ potius ex mente  
Blasphemæ, quam hæreticalis, & errore intelle-  
ctus fiant.

TITULUS XXVII.

De Clerico excommunicato, deposito  
vel interdicto ministrante.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Poena Censuram violentis Clerici I. est depositio ab Officio, & Beneficio.
- 3 Quæ instigi potest ante omnem monitionem.
- 4 II. Qui in Excommunicatione existens celebrat, privatur Beneficiis ante omnem sententiam.
- 5 III. Poena Censurati actum Ordinis exercentis est irregularitas ipso facto incurrenda.
- 6 Ad quam tamen contrahendam requiritur primò, ut Censuratus exerceat verum, ac proprium actum Ordinis.
- 7 Actus Ordinis ad propositum qui sint, & qui non? Ibid.
- 8 Suspensus, & excommunicatus vitandus irregularis fuit, si absolvunt aliquem Sacramentaliter, etsi nulliter agent.
- 9 Objectione.
- 10 Secunda conditio est, ut Censuratus temerè, seu cum culpa actum Ordinis exerceat.
- 11 Hinc qui ignorat, se esse Censuratum, irregularitatem non incurrit, exercendo actum Ordinis.
- 12 Nec qui in extrema necessitate absolvit.
- 13 Nec qui ad vitandum scandalum, vel infamiam, actum Ordinis exerceat.
- 14 Nec ille, contra quem sententia Censuræ eviden-ter est nulliter lata.
- 15 Variè dubitare quis potest de sua Excommunicatone.
- 16 Qui scit, se esse à Judice Ecclesiastico excommuni-catum, & dubitat, an ritè & legitime, irregu-laris est, si in illa ministrat.
- 17 Nec juras appellatio post latam Excommunicati-onem interpositam. Ibid.
- 18 Dubitans, num contra se lata sit sententia Excommuni-cationis, vel an perpetraverit delictum, cui Excommunicatio est annexa, tenetur sub poena Irregularitatis abstinere ab exercitio Ordinis.
- 19 Solvitur Objectione.
- 20 In materia morali, præsertim Censuræ & Irregu-laritatis in dubiis debemus sequi tutiorem: Et num. seq.
- 21 Consilium sequi nemo tenetur. Ibid.
- 22 Non tantum vitandus, sed etiam toleratus Ex-communicatus irregularitatem incurrit, si ac-tum Ordinis exerceat.
- 23 Non item Excommunicatione minori ligatus.
- 24 Censuratus etiam minoris Ordinis actum exercentis est irregularis.
- 25 Si id cum solemnitate faciat.

U Num ex Clericorum gravibus delictis est vi-  
olant Censuras, dum nempe in Excommunicatio-  
ne, Suspensione, vel Interdicto existens aliquem ac-  
tum Ordinis exercent, aut in loco interdicti Di-  
vina celebrant. Ob quod delictum, quia poenâs con-  
trahunt,

Queritur I. Quas poenas incurrant Clerici Cen-  
suram violentas, seu qui in Excommunicatione, Sus-  
pensione, vel Interdicto existens aliquem actum Or-  
dinis exercent? Resp. I. Hujusmodi Clericos se-  
quentibus subijci poenis. Et quidem I. Incur-  
runt poenam Depositionis ab Officio & Beneficio,

non

non quidem ipso Jure, sed sententia Judicis infen-  
dendam. Abbas in c. Clerici. 3. h. t. & ibi Ancha-  
ranus, Hostiensis, Barbosa, & alii, arg. cit. c. 3.  
h. t. ibi: Clerici autem, si qui à suis, aut etiam de  
mandato Romani Pontificis ab alienis Episcopis in-  
terdicti, vel excommunicati, ante absolutionem di-  
vina Officia celebraverint, nisi moniti sine dilato-  
ne reuertantur perpetuam depositionis sententiam pro au-  
su temeritatis incurrant; Quavis erim hic textus  
de solis Excommunicatis & Interdictis loquatur, ta-  
men Glossa communiter recepta in cit. c. Clerici. h. t.  
v. Moniti, hanc poenam etiam ad Suspensos extendit.

Potè hæc poena statim in contenti, etiam  
absque ulla admonitione præviâ imponi potest  
Reo, Glossa citata, & ibi Abbas n. 2. arg. c. La-  
tores. 4. h. t. Nec obstat, quod cit. c. Clerici. 3. h. t.  
dicatur: Nisi moniti sine dilatione respiciant. Re-  
ponderetur enim, per hunc textum plus non indi-  
cari, quàm quod Episcopus possit, si velit, prius mo-  
nere Reum, eique si monitus statim se emendet, ex  
gratia dispensationis hanc Depositionis poenam re-  
mittere, Abbas loc. cit. Pirhing h. t. n. 5.

II. Poena est, quod si in Excommunicatione ex-  
istens Divina celebret, ipso facto incurrat Privationem  
Beneficiorum, c. Fraternalitati. 6. h. t. ibi: Presby-  
teros autem, & alios Clericos, qui pro suis excessibus  
à te nexibus Anathematis Canonice innodati præsump-  
serint, vel præsumunt Officia celebrare divina, ratio-  
nabiliter poterit omnibus Beneficiis Ecclesiasticis spo-  
liari: quod ultimum verbum Spoliare indicat sen-  
tentiam jam latam, ita ut Episcopus solam Juris exe-  
cutionem facere debeat, ut post Tiraquellum in  
l. Si unquam. 8. C. De revocand. donat. v. Tenentur.  
n. 167. neq. advertit Barbosa in c. Fraternalitati. 6. h. t.  
Ratio est; quia cum talis Clericus ipso Jure sit ir-  
regularis, consequenter ad obeunda munera Bene-  
ficiorum inhabilis, merito Beneficiis privatur, arg. c. fin  
de Rescriptis in 6.

III. Poena illius, qui Suspensus, Interdictus, vel  
Excommunicatus actum Ordinis exercent, est irregu-  
laritas, quæ ipso Jure contrahitur. Commu-  
nis & certa ob Jura clara. Et quidem de Suspenso  
patet ex c. Apostolica 9. h. t. c. 1. §. fin. de Sentent. &  
v. Judic. in 6. ibi: Quod si in Suspensione durante dan-  
nabiliter ingressus sit divinis, Irregularitatis laqueo  
se involvet. Concordat c. 1. §. fin. de Sentent. Excom-  
muni. in 6. De Interdicto habetur c. Is cui. 20. eod. in 6.  
ibi: Is cui Ecclesiæ interdictum est ingressus &c. irre-  
gularis efficitur, si contra Interdictum hujusmodi Di-  
vinit in ea se ingerat. De Excommunicato autem tex-  
tus sunt in can. Si quis Episcopus, & seq. cau. 11. q.  
3. juncto c. penult. & ult. h. t.

Resp. II. Ad hoc ut Censurati incurrant irregu-  
laritatem, sequentes requiruntur conditiones. Pri-  
ma est, ut verum ac proprium actum Ordinis ex-  
erceant, cujusmodi est celebratio Missæ v. g. col-  
latio Sacramenti, Ordinis, Confirmationis, admi-  
nistratio extremæ Unctionis &c. quia etsi Cen-  
suratus graviter peccet, tamen Irregularitatem non  
incurrit solum exercendo actus Jurisdictionis; qua-  
lis v. g. est dispensatio in votis, Juramentis, ab-  
solutio in Censuris, si fit absque stola, & aliis ce-  
rimoniarum; prædicatio Verbi Dei, assistentia Ma-  
trimonii; quia omnes hi actus Ordinis non sunt;  
qualis tamen esset, & Irregularitatem traheret, si  
Censuratus Sacerdos spontis solemnem Benedic-  
tionem impertiret. c. 1. & c. Vir autem 3. De se-  
cundis nuptiis. Suarez de Censuris. Disp. 11. sect. 3.  
n. 18. Tales etiam forent collatio Baptismi cum  
solemnitate; cantatio Evangelii cum stola, Episto-  
le cum manipulo &c. Non item cantatio Evan-  
gelii sine stola, & manipulo, collatio Baptismi  
privata &c. quia illi à solis Ordinatis vi Ordinis,

illi verò etiam à non Ordinatis exercentur. Navar-  
tus Manual. cap. 27. n. 244. Sylvester v. Irregulari-  
tas. q. 13. dist. 1. §. 4.

Potè inter actus Ordinis reputatur etiam Ab-  
solutio Sacramentalis, quæ fit à Suspenso, vel Ex-  
communicato etiam vitando; Quavis enim hi ut-  
pote Jurisdictione privati invalidè absolvent, nihil-  
ominus, quia quantum in se est, exercent actum Or-  
dinis, cum idem faciant, quantum in se est, quod  
alius Irregularitatem contrahunt sic ut ille, qui re-  
baptizando invalidè agat, & verum Baptisma non  
conterat, can. Confirmandum. 59. dist. 50. can. Afros.  
3. dist. 98. c. Ex litterarum. 2. de Apost. &c.

Nec obstat, si dicatur, ad incurrendam Irregu-  
laritatem requiri actum in suo genere perfectum,  
uti patet in mutilatione, & homicidio, quod solum-  
modò attentatum, Irregularitatem non inducit,  
nisi etiam in actu ipso sit completum, per dicta  
Tit. XII. de Homicid. §. II. Nam contra est, quod  
etsi talis Absolutio non fortitatur suum effectum  
in ordine ad liberationem à peccatis, fortitatur  
tamen illum in ordine attentionis, & exercitii  
actus Ordinis, in quo genere talis absolutio con-  
summata, & perfecta est, sicut attentata, etsi in-  
validè facta rebaptizatio, ex qua Irregularitatem  
contrahi certum est per Jura numer. præced. al-  
legata.

Secunda conditio ad contrahendam præfatam Ir-  
regularitatem requisita est, ut Censuratus temerè  
& culpabiliter exerceat verum, seu proprium ali-  
quem actum Ordinis. Suarez de Censuris p. 7. dist.  
9. sect. 2. dub. 1. §. Hinc sequitur, Pirhing h. t. n. 40.  
Gonzalez in c. Apostolica 9. h. t. n. 15. & alii. Ra-  
tio est; quia hæc Irregularitas est imposita in poe-  
nam culpæ, seu peccati, arg. cit. can. Si quis. 6.  
cau. 11. q. 3. ibi: Si quis fuerint de ministerio sacra-  
contingere: & can. Si quis. 7. ead. cau. & q. ibi: præ-  
sumpserint. c. Latores. 4. h. t. ibi: Postquam inter-  
dicti, vel excommunicati fuerint, divina præsumpserint  
Officia celebrare: & infra: Si deliquisse confiterit:  
& c. 1. de Sentent. & re judicat. in 6. ibi: Si damna-  
biliter se ingesserit: cum Concordant, ergo ubi nulla  
culpa est, nec poena hæc incurritur, per Valgaria.

Hinc colligitur Primò eos, qui invincibiliter ig-  
norant se esse excommunicatos, suspensos, vel in-  
terdictos, non incurere hanc Irregularitatem:  
Doctores c. Apostolica 9. h. t. ibi: Vos redit pro-  
babilis ignorantia excusatos; sed verò illos, qui  
hujus ignorantiam vincibilem, seu crassam, & supi-  
nam habent, arg. cit. c. Apostolica, & ibi Glossa v.  
Probabilis, Abbas n. 3. Ratio est; quia ignorantia  
invincibilis, & probabilis, non item crassa & su-  
pina excusat à culpa.

Colligitur Secundò etiam illum Censuratum non  
fieri irregularem, qui extrinsecè urgente necessitate,  
v. g. in Articulo mortis aliquem absolvit, casu quo  
alius Sacerdos à Censura immunis haberi nequit,  
eò quod in Articulo mortis quisvis Censuratus va-  
lidè & licitè absolvat vi Concil. Trident. Sess. 14.  
cap. 7.

Colligitur Tertio, illum quoque immunem esse  
ab hac Irregularitate, qui in Censura existens ad  
vitandum grave scandalum, vel ad vitandam in-  
famiam exercet actum Ordinis, prout contingere  
potest, si quis ob delictum occultum excommu-  
nicatus existens manifestationem delicti, indeque  
infamiam sui induceret, si actum aliquem Ordinis  
exerere omitteret. Avila loc. cit. Pirhing h. t. n. 42.  
Ratio est; quia Leges humanæ obligare non vi-  
dentur cum tam gravi incommodo.

Colligitur Quarto, nec illum Irregularitati sub-  
jacere, qui in Censura existens exercet Ordinis  
actum, casu quo sententia Censuræ contra se lata  
evi-

evi-



evidenter est nulla. Pirhing h. t. n. 44. Avila loc. cit. Ratio est; quia universaliter loquendo non debet is poenam Canonice sustinere, in cuius damnationem non est Canonice prolata sententia. Et sicut huiusmodi nulla sententia caret Juris effectu, sic auctoritate. Et nomine rei careat iudicate, ut nec in opinione communi, aut vulgi labii nomen habere mereatur sententia, ut dicitur Clem. 2. §. Ubi igitur, de Sententia & re iudic. & concordat l. si se. 4. §. Condemnatum ff. de re iudic.

4. Quæritur II. Utrum dubitans, an verè sit Excommunicatus, nec ne, incurrat Irregularitatem exerceendo aliquem actum Ordinis? Ante responsionem nota, dubium de Excommunicatione posse variam esse, v. g. primo aliquis scit quidem se per Iudicem Ecclesiasticum fuisse excommunicatum, dubitat tamen, an ritè & legitime, consequenter an Excommunicatio illius verè subsistat, nec ne? Secundo potest quis dubitare, an de facto Excommunicatio contra se lata sit, eò quòd id audiat quidem, vel famam, aut rumorem sciat, dubitat tamen, an rumor verus sit? Tertio potest quis dubitare, utrum actum, cui aliàs Excommunicatio cerè annexa est, v. g. Homicidium commiserit, nec ne? Quarto dubitare potest, num delictum, quod certò perpetravit, annexam habeat Excommunicationem? Hoc notato,

5. Resp. I. Qui certò scit, se à Iudice Ecclesiastico excommunicatum fuisse, & solùm dubitat, num Excommunicatio huiusmodi legitime lata & valida sit, nec ne, debet se pro Excommunicato habere, ac propterea etiam sub poena Irregularitatis ab omni exercitio Ordinis abstinere. Communis & certa, arg. cit. c. Illud 5. h. t. & c. Per suas de Sentent. Excommunic. Cum Concordantiis, in quibus habetur etiam in casu, quo per Episcopum iniuste lata est sententia Excommunicationis, eam servari debere, donec Excommunicatus absolvatur; ergò multò magis in dubio. Hinc dicitur eam. Sententia 1. cau. 11. quest. 3. Sententia postoris sine iusta, sive iniusta fuerit, timenda est; nec juvat, si contra eam iam latam appellet; bene verò si entèd contra minas Excommunicationis, vel eam ferendam appellet, arg. cit. c. Per suas, & c. Passoralis 53. c. Præterea 40. de Appellation. prout amplius dictum Lib. II. Tit. XXVIII. de Appellation. a num. 112.

6. Resp. II. Si quis de Excommunicatione suâ secundo, & tertio modo dubitat, Irregularitatem incurrit, si stante tali dubio aliquem actum Ordinis exerceat. Fagnanus in c. Ne imitari de Constitut. a n. 171. Barbosa in c. Illud 5. h. t. n. 7. Garcias de B. nesc. p. 7. cap. 2. num. 18. arg. c. Illud 5. h. t. ubi Episcopus Hildesheimensis ex eo, quòd in dubio num verè esset excommunicatus, cum solùm ex fama id habuerit, actum Ordinis exercuerit, censetur Censuram violasse, & c. Audientiam, de Homicidio: ibi: Quia verò utrum occasione vulneris decessisset dubium habetur, vestra discretioni duximus respondendum; quòd cum in dubio sententiam debeamus eligere tutorem, vos convenit injungere Presbytero memorato ut in sacris Ordinibus non ministeret. Item c. Significasti 18. eod. ibi: Quòd si discerni non possit, ex cuius icu percussus interierit, in dubio tanquam homicida debet haberi Sacerdos, etsi fortè homicida non sit, à Sacerdotali Officio abstinere debet; cum in hoc casu cessare sit tutius, quam temerè celebrare. Concordat c. P. i. 24. eod. Ratio est; cum agitur de animæ periculo, in dubio tutiorem partem eligere debemus, per Jura citata, juncto c. Inventis de Sponsalib. cum Concordantiis, adeo, ut teste Fagnano loc. cit. n. 171. apud sacros Canones certum quasi Axioma sit: quòd in materia morali, ubi

agitur de salute, & periculo animæ, teneamur sequi partem tutiorem.

Nec dicas cum Sanchez in Decalog. lib. 1. cap. 17. 10. n. 11. & 64. & aliis; illud in sacris Canonibus toties repetitum, quòd in dubiis circa materiam moralem tutior pars sit eligenda, non sit de præcepto, sed tantum de consilio; cum cateroquin in dubio melior sit conditio possidentis, consequenter si quis habet dubium Juris, vel Facti de Excommunicatione, potest frui privilegio possessionis, in qua censetur esse libertas, & fama, & se reputare immunem ab Excommunicatione. Nam contra est: Tum quòd sacri Canones adhibeant verba non simplex consilium, sed verum præceptum importantia, v. g. Cum in dubiis debeamus eligere tutiorem: Item; in dubiis debet Sacerdos à sacerdotali Officio abstinere. Tum quòd cit. c. Illud 5. h. t. Episcopus ex eo, quia in simili dubio tutiorem partem non elegit, & à Divinis non abstinuit, de rigore Juris deponi debuit; consequenter in huiusmodi dubio tutiorem partem sequi, & à Divinis abstinere non simplex consilium, sed præceptum est; cum ob transgressionem solius consilii Episcopus de omni non potuisset, can. Quisquis. 3. cau. 14. q. 1. ibi: Præcepto non obedire, peccatum est; consilio si uti nolueris, minus boni adipisceris, non mali aliquid pepereris; & infra: Ubi consilium datur, offerentis arbitrium est; ubi præceptum, necessitas est servientis.

Ad illud, quòd in dubio melior sit conditio possidentis; Respondet Fagnanus loc. cit. a n. 101. hanc Regulam solùm procedere in Foro judiciali externo, non item in materia morali, quando agitur de periculo animæ: vel si etiam in hac materia procedit, Deum, & Legem esse in possessione; cum Lex divina universaliter velit; ut in negotio animæ fugiamus periculum; juxta illud, qui omnia periculum perit in illo. Quæ responsio si non videtur alicui sufficiens; resp. ondetur, quòd, etsi dato non concessit, circa alias materias in dubiis eligere tutiorem sit solius consilii, & non præcepti; tamen circa Excommunicationem, & esse us illius sit reverè de præcepto, ob claros textus supra num. 16. allegatos.

Quæritur III. An poenam Irregularitatis incurrat non tantum Excommunicatus vivandus, sed etiam tolerandus, præteritum occultus, si aliquem actum Ordinis exerceat? Resp. Affirmativè. Ratio est; quia Jura indistinctè loquuntur, ergò indistinctè sunt intelligenda, c. Quia circa. 22. de Privileg. Nec obstat, quam aliqui obijciunt, Bulla Martini Ad abolendam; quia per eam solis Fidelibus non excommunicatis habentibus communicationem cum excommunicatis, minime verò ipsis excommunicatis favorem aliquem conferre voluit: prout patet ex illis verbis Bullæ ad finem positis: Pro hoc non intendit excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari.

Quæritur IV. Num etiam in Excommunicatione minori exiens contrahat Irregularitatem celebrando aliquem actum Ordinis? Resp. Negativè, textus clarus habetur c. fin. h. t. ibi: Si celebrat minori Excommunicatione ligatus, licet graviter peccet, nullus tamen notam Irregularitatis incurrit.

Quæritur V. Utrum Irregularitatem etiam incurrat Censuratus; si actum Ordinis minoris Accolythus, v. g. exerceat? Resp. Affirmativè, si id cum solemnitate, & quasi ex Officio faciat. Joan. Andreas in c. 2. h. t. n. 2. & ibi Abbas n. 4. Hostiensis §. Sed quidquid. Barbosa n. 3. Fagnanus n. 7. arg. cit. c. 2. h. t. Ubi generaliter sine distinctione inter majorem, & minorem Ordinem, fit distinctio, sicut etiam c. 1. §. fin. c. Is cui 20. de Sentent. Excommun. in 6. Sine

Sine distinctione inter dictos Ordines de Irregularitate pronuntiantur; ibi: Si Divinus se ingerat, in suo agens Officio, ut prius; atqui ubi Jus non distinguit, nec nos debemus distinguere, cit. c. Quia circa. 22. de Privileg. ergo.

22. Dicitur autem notanter: Si id cum solemnitate & quasi ex Officio faciant; si enim huiusmodi actum Ordinis minoris sine ulla solemnitate, modo, quo eum juxta receptam consuetudinem de facto passim faciunt Laici, exercent Clerici, eos ab irregularitate immunes esse, satis communiter docent Theologi, in specie Navarrus Manual. cap. 27. numer. 242. Sylvester v. Irregularitas. quest. 27. & ex Canonibus Covarruvias in c. Alma Mater. p. 1. §. 6. n. 9.

cum enim nec in hoc Capitulo, nec alibi fiat mentio aliorum inferiorum Ordinum, horum Suspensionem talis Clericus non incurrit. Suarez de Censur. disp. 42. sect. 4. n. 4. Pirhing h. t. n. 3. quia dispositio poenalis & odiosa, qualis est ista, restringenda potius, quam extendenda est, arg. c. Oda. 15. de Reg. Jur. in 6.

Tertia poena est Excommunicatio c. 1. h. t. ibi: Si quis baptizaverit, aut aliquid Officium divinum exercuerit non ordinatus, propter temeritatem abijciatur ab Ecclesia: ubi verbum abijciatur indicat hanc Excommunicationem non ipso facto incurri, sed primùm infligi debere. Suarez loc. cit. n. 2.

Quarta poena est Degradatio, & traditio Curie seculari, juxta dicenda infra num. 13. & seq.

Resp. II. Ad hoc ut Clericus non Ordinatus Irregularitatem numer. 2. specificatam incurrat, sequentes requiruntur conditiones. Prima est, ut proprium actum seu ministerium Ordinis exerceat, quod non nisi ab Ordinato exerceri potest; prout contingeret, si Minorista Epistolam cum manipulo, vel Subdiaconus Evangelium cum stola solemniter cantaret, aut horum aliquis, vel Diaconus celebraret, solemniter baptizaret, confirmaret. Sacramentaliter absolveret, extremam Unionem conferret &c. prout in simili diximus supra Tit. præced. num. 6. & cum aliis docet Navarrus Manual. cap. 27. numer. 242. Suarez de Censur. disp. 42. sect. 4. Pirhing h. t. n. 5.

Secunda conditio est, ut Clericus huiusmodi Ordinis actum exerceat serid, saltem quoad exteriorem actionem, si enim ex joco distaxat, vel per modum ludicriæ, vel scence actionis id facit, in Ordine ministrare, vel actum ejus exercere non censetur, sed potius representare eundem, consequenter irregularitas non evadit. Navarrus loc. cit. Bonacina Disp. 7. de Irregular. q. 3. p. 6. numer. 1. Sylvester v. Irregularitas quest. 12. limit. 2. Suarez loc. cit. num. 16. Pirhing h. t. num. 6. qui tamen cum citato Suarez bene subiungit, sufficienter, ad propositum Serid agere illum, qui exteriorem actionem Ordinis serid producit eo modo & fine, ut homines decipiat, vel persuadeat, se ex vero ac sincero animo & intentione etiam internâ talem actum Ordinis exercere, etsi reverè talem intentionem & mentem internam non habeat; imò nec habere possit, quando scit, quòd Ordinem requisitum pro actu non habeat. Alias enim ferè nullus hanc Irregularitatem incurreret, hoc ipso, quòd nullus, nisi crastus, qui scit, se Ordinem non habere, intentionem internam habeat verum proprium ac validum illius actum exercendi.

Tertia conditio est, ut temerè & scienter id faciat, Suarez loc. cit. numer. 16. Avila de Censuris Disp. 9. sect. 2. dub. 13. arg. c. 1. h. t. ibi: Propter temeritatem, hinc qui ex ignorantia invincibili probabiliter putat, se Ordinem, cuius actum exerceat, habere, Irregularitatem non incurrit; quia hæc ad propositum imponitur in poenam peccati, quod si abest, etiam poena abesse debet.

Sylvester loc. cit. Avila loc. cit. & nonnulli alii addunt etiam quartam conditionem, videlicet, ut quis exerceat proprium actum Ordinis sacri, eò quòd actus Ordinum minorum ex consuetudine etiam Laici exercere soleant. Verum Circa hanc conditionem discutendum sicut supra Tit. præced. num. 21. de Clerico Censurato exerceente actum Ordinis minoris, videlicet, quòd si id faciat solemniter, & quasi ex Officio, Irregularitatem æquè incurrat, ac si actum Ordinis sacri, seu majoris exerceat per Jura, & rationes cit. n. 21. allegatas; præsertim cum etiam c. 1. h. t. universaliter dicatur: Si ali-

quod

TITULUS XXVIII.

De Clerico non Ordinato ministrante.

SUMMARIUM.

- 1 Sensus Rubricæ.
- 2 Poena exercentis Ordinem, quem non habet, est Irregularitas, & qualis?
- 3 Ille Suspenditur ab Ordine ita suscepto.
- 4 Non item ab alio.
- 5 Ille Est Excommunicatio. IV. Degradatio.
- 6 Ad contrahendam poenam Irregularitatis requiruntur, ut quis exerceat proprium actum Ordinis.
- 7 Et quidem serid.
- 8 Ac temerè.
- 9 Ceterum non refert, num majoris vel minoris Ordinis actum exerceat, si id solemniter faciat.
- 10 Laicus actum etiam majoris Ordinis exercentis non sit irregularis.
- 11 Valet argumentum à Rubro ad Nigrum.
- 12 Irregularitatem non contrahitur, que non habetur in Jure expressè.
- 13 Si Laicus, vel Clericus non Sacerdos Missam celebrare, vel Consecrationem Sacramentalem audire attentat, degradatur & Curia seculari traditur, ab eaque gravissimè puniri debet: Et num. seq.
- 14 A qua poena non excusat minor ætas, dummodò vigesimum annum compleat.
- 15 Quis possit dispensare in Irregularitate per malum usum Ordinis contrahit.

Inter alia Clericorum delicta, unum, idque grave est, si exerceant Ordinem, quem non habent, v. g. si Diaconus Missam celebret, solemniter baptizet, Nuptias, aut aquas benedicat &c. Hinc

Quæritur I. Quas poenas incurrat actum Ordinis exercentis, quem non habet? Resp. Sequentes. Prima & præcipua est Irregularitas, ita ut ad superiores Ordines, v. g. Diaconus ad Sacerdotium ordinari non amplius possit. Omnes, textu claro c. 1. h. t. ibi: Nuntquam ordinetur: videlicet ad Ordinem, quem nondum habet. Concordat c. 2. eod. Respectu tamen aliorum, quos jam prius habuit, non fit irregularis, bene verò à proximo suspensus, juxta statim dicenda.

Secunda poena talis Clerici est Suspendio ab Ordine proxime suscepto infligenda ad biennium, vel triennium, cit. c. 2. h. t. ubi statuitur, quòd Diaconus, qui Missam celebrationem usurpare præsumpsit &c. ad Sacerdotium officium non poterit promoveri: à Diaconatu quoque biennio vel triennio maneat suspensus.

Dicitur notanter ab Ordine proxime suscepto;



quod divinum Officium exercueris non Ordinatus, nunquam ordinetur: Si vero id facit absque ulla solemnitate, modo, quo juxta consuetudinem practicant Laici, irregularis non erit, Navarrus loc. cit. n. 242. dictio 7. Suarez loc. cit. n. 15.

- 10. Queritur II. Utrum Laicus exercendo actum Ordinis praefertim Majoris, v. g. celebrando Missam, absolvendo Sacramentaliter, Irregularitatem, vel aliam poenam, & quam incurrat? Resp. I. Laicus qualemcumque actum Ordinis exercens Irregularitatem non incurrit. Barbosa in c. 1. h. 1. Bonacina de Censuris. Disput. 7. quest. 3. pun. 6. n. 1. §. Dixi Clericus, Henriquez lib. 2. v. Baptisim. sup. 29. §. 1. prope finem. Layman lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 2. n. 3. Ratio est: Tum quia Rubrica hujus Tituli, de solis Clericis non Ordinatis, minime verò de Laicis loquitur, consequenter ad hos dispositio penalnis extendi non debet, arg. c. Odia. de Reg. Jur. in 6. praefertim cum poena Irregularitatis in specie extra casus in Jure expressis non incurrat, c. Is qui. 18. de Sentent. Excommuni.

- 11. Nec dicas pro Laicis hanc poenam satis exprimi c. 1. h. 1. Ubi universaliter & sine distinctione inter Clericum & Laicum statuitur, quòd quicumque non Ordinatus aliquod divinum Officium exercuerit, sit irregularis. Respondetur enim Textum quidem indistinctè loqui, esse tamen intelligendum juxta Rubricam Tituli, quae expressè de solis Clericis sonat; valet enim argumentum à Rubro, ad Nigrum, si Nigrum non contradicat rubro juxta amplius dicta in Proemio Lib. I. §. 6. v. num. 96.

- 12. Dices, eadem imò major ratio militat contra Laicum, quam Clericum non Ordinatum in Ordine ministrantem; cum ille gravius, quam iste peccet; majorque irreverentia & contemptus Ordinis confurgat ex Laici, quam Clerici non Ordinati actu, seu exercitio Ordinis; ergo. Respondetur in materia Irregularitatis non valere argumentum à paritate, imò nec à majoritate rationum, sed esse universalem Regulam Juris, quòd, ubi Irregularitas in Jure non reperitur manifestè expressa, non incurrat, prout habet Communissima Doctorum, arg. cit. c. Is qui. 18. de Sentent. Excommuni. in 6. ibi: Cum id non sit expressum in Jure.

- 13. Resp. II. Quamvis Laici actum Ordinis exercentes Irregularitatem non incurrant, nihilo minus si Laici, vel Clerici celebrationem Missae, vel absolutionem Sacramentalem usurpare attentant, tamen ab Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis tanquam Idololatriae, & gravissimi Falsi rei, omni misericordià indigni judicari, & Curiae saeculari debitis poenis afflicendi tradi possunt ac debent, prout tam de Laicis, quam etiam Clericis ordinavit Clemens VIII. in Constitutione, est alias, quae est Octava inter Constitutiones dicti Pontificis, in Bullario Cherubini, ubi §. 3. ita statuitur: Præterea ut gravissima hæc scelera committentes, post hæc debito supplicio puniantur, motu proprio & decernimus, atque statuimus, ut quicumque non promotus ad sacrum Presbyteratus Ordinem, repertus fuerit Missarum celebrationem usurpare, vel Sacramentalem Confessionem audivisse, à Judicibus S. Inquisitionis, vel locorum Ordinariis tanquam Ecclesiae misericordià indignus, à foro Ecclesiastico abiciatur, & ab Ordinibus Ecclesiasticis, si quos habuerit, ritè de gradatatus, statim Curiae Seculari tradatur, per Judices seculares debitis poenis pleclendus.

- 14. Quae Constitutio ab Urbano VIII. denuò confirmata, magis declarata fuit, adèò ut hi quoque ordinariæ poenae subjaceant, dummodò vigesimum annum expleverint; uti videre est in ejusdem

Constitutione Apostolatus Officium, quae est 79. inter Constitutiones dicti Papae Tom. III. Bullarii Cherubini, ubi §. 3. & 4. ita statuitur: Nos desidentes impiam, & nefariam horum temeritatem, qui atrocissimo hoc scelere Catholicam veritatem factò impugnant &c. Statuimus & decernimus, ut de cetero, qui imposterum ad Sacrum Presbyteratus Ordinem non promotus Missam celebrare, aut Sacramentalem Confessionem audire praesumpserit, etate minori viginti quinque annis non excusetur, quò minus eidem Clementis Constitutioni subiciatur, dummodò vigesimum suae etatis annum compleverit.

Itaque non promotus sic delinquens nullà habet consideratione etatis minoris, sive Laicus, sive Clericus secularis, aut cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis etiam de necessitate exprimens Regularis, aut cujusvis alterius instituti, etiam quantumvis exempti, & privilegiati, Nobisque, & Sedi Apostolicae immediatè subiecti, nec non Militarium, quantumcumque, etiam S. Joannis Hierosolymitani fuerit, tradatur Curiae Seculari debitis poenis pleclendus.

- 15. Queritur III. Quis dispensare valeat in Irregularitate per malum usum Ordinis contracta juxta hanc praecedentem, & etiam sequentem Rubricam? Resp. Quamvis olim fuerit solus Papae in hujusmodi Irregularitate dispensare, c. 1. §. fin. de Sentent. & re judicat. in 6. & c. 1. de Sentent. Excommuni. in 6. tamen hodie vigore Tridentini hæc potestas etiam Ordinario competit, si delictum est occultum; secus, si est publicum, aut jam deductum ad Forum contentiosum. Communis, ac certa, textu expresso Concilii Trident. Sess. 24. de Reform. cap. 6.

TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promotò.

SUMMARIUM.

- 1 Per Saltum ordinari quid? Est prohibitum. Ad honores, per gradus ascendere Jura volunt, ibid.
- 2 Ordo per Saltum illicitè quidem, sed validè confertur, excepto Episcopatu.
- 3 Per Saltum ordinatus ipso facto est suspensus ab Ordine ritè suscepto.
- 4 Non item ab alio ritè suscepto.
- 5 Per Saltum Ordinatus, quando fiat irregularis?
- 6 Qui absque prima Tonsura Ordines suscipit, est suspensus ab illis.
- 7 Non item qui absque Confirmatione aliquos suscipit.
- 8 Si quis per Saltum ordinatus, in suscepto Ordine non ministravit, potest in Suspensione dispensare Episcopus.
- 9 In qua tamen, sicut & in Irregularitate dispensare nequit, si in tali Ordine per Saltum ordinatus ministravit.
- 10 Nisi delictum sit occultum.

Præter recensita delinquit insuper Clericus, qui per Saltum accipit unum, vel plures Ordines, id est, qui superiorem, vel majorem omnino medio inferiori, vel minore Ordine, v. g. omnino Lecloratus, Subdiaconatum, vel hoc omnino Diaconatum, aut Presbyteratum suscipit: sicut enim dicantur lumine naturæ Leges Civiles statuerè, ut non nisi gradatim à Minoribus ad Majores Ordines ascendatur. I. Ut gradatim. 11. ff. de munerib. & honorib. ibi: Ut gradatim honores deferantur, edictò, & ut à minoribus

ad majores perveniant, Epistolà Dini Pii ad Titianum exprimitur: junctà l. Honor. 14. §. 5. ff. eod. sic sanctè etiam ab Ecclesia ordinatum fuit, ut ad munera & honores Ordinum non nisi gradatim, videlicet à prima Tonsura ad Ordines minores, & ab his ad majores debito ordine ascenderetur, can. 1. dist. 52. can. S. officia. 2. & can. fin. dist. 59. juncto Concil. Trident. Sess. 23. can. 2. & cap. 11. de reformat. Gradus autem, quibus ascenditur, praefertuntur can. Cleros. 1. dist. 21. quibus Clericus successivè fit Ollarius, Lectòr, Exorcista, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Episcopus; adèò ut etsi Ordinatio non servato hoc ordine valida sit (excepto Excoisopitu, qui de essentia praerquirit Ordinem c. Exlteris. 10. in fine, de Excess. Prælat.) tamen illicita est, & poenis subiecta.

- 3. Queritur I. Quibus poenis subjaceat Clericus, per Saltum ordinatus? Resp. I. Qui per Saltum sive ignoratè, sive scienter Ordinem suscipit, ipso facto ab Ordine, quem per Saltum suscepit, tam diu manet suspensus, donec Ordinem inferiore omisum recipiat. Abbas in c. un. h. 1. & ibi Barbosa n. 3. Fagnanus n. 22. Navarrus Manual. cap. 22. n. 242. cum Communi, can. Solicitudo. dist. 52. & c. un. h. 1.

- 4. Dicitur autem noviter ab Ordine quem per Saltum suscepit; quia quamvis nonnulli cum Gonzalez in cit. c. un. h. 1. in 6. velint, talem Clericum esse etiam ab aliis Ordinibus ritè & gradatim susceptis suspensum; tamen probabilius videtur, Suspensionem affici solum Ordinem per saltum susceptum. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. n. 10. Suarez de Censuris Disp. 31. sect. 1. nu. 48. & plures alii à Barbosa allegati arg. cit. c. un. h. 1. ubi per saltum promotus ad Sacerdotium pro usu & exercitio hujus solus Ordinis per Saltum promotus dispensatione opus habere videtur: quam interpretationem benignam suadet ipsa etiam materia penalnis, arg. c. Odia, & c. In poenis. de Reg. Jur. in 6.

- 5. Resp. II. Quamvis per Saltum ordinatus fiat irregularis, si temerè exercet actum Ordinis per Saltum suscepti, eò quòd violet Censuram, Suspensionem nempe, juxta dicta, consequenter ex hoc capite Irregularitatem incurrat per dicta supra; tamen ob solam suspensionem Ordinis per Saltum irregularis non evadit, si ab exercitio talis Ordinis abstinet. Barbosa loc. cit. Sylvester v. Irregularitas. q. 11. n. 13. Fagnanus in c. un. h. 1. Suarez loc. cit. n. 45. & §. 9. Ratio est; quia hæc Irregularitas in Jure nullibi reperitur expressa; consequenter non contrahitur, arg. c. Is qui. de Sentent. Excommuni. in 6.

- 6. Queritur II. Utrum etiam suspensus sit, qui Ordines absque prævia prima Tonsura? vel absque Confirmatione suscipit? Resp. I. Qui absque prima Tonsura recipit, ab illis ipso facto suspensus est. Sperel. Decy. 114. Barbosa de Offic. & potest. Episcop. Allegat. 47. n. 7. Pirhing h. 1. n. 7. Ratio est: Tum quia, etsi dato non concessio Tonsura Ordo non esset, est tamen juxta omnes primos gradus ad Ordines, & eorum fundamentum, ac Ordinum inflat in consuetis Ecclesiae Ordinationibus confertur, & propterea etiam à sacris Canonibus Ordo vocatur, c. Cum contingat. 11. De etate & qualitat. Praefertend. ibi: Per primam Tonsuram juxta formam Ecclesiae datam, Clericis Ordo confertur. Accedit declaratio S. Congregationis allegata à Callemart. ad Tridentin. Sess. 23. de Reformat. cap. 14. quò declaratum habetur, eos, qui absque prima Tonsura Ordines suscipiunt, à sic susceptis esse suspensos.

- 7. Resp. II. Qui absque Sacramento Confirmationis primam Tonsuram, vel Ordines suscipit, non est suspensus. Zoellius h. 1. n. 5. Pirhing h. 1. n. 10. Avila de Censuris. p. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 3. & communis aliorum. Ratio est, quòd etsi à Concilio Reiffstuel Jus Can. Tom. V.

Trident. Sess. 23. de Reformat. cap. 4. praecipitur, ne qui primà Tonsurà initiatur, & consequenter ne ordinetur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperit, indeque illicitè agat, qui absque Confirmatione primam Tonsuram vel Ordines suscipit, tamen nec à dicto Concilio, nec à Jure communi ullibi aliqua Suspendio, vel Irregularitas imponitur, consequenter non incurritur, arg. Sappè cit. c. Is qui. 18. de Sentent. Excommuni. in 6.

- 8. Queritur III. Quis possit dispensare in poenis ob Ordines per Saltum susceptos contractis? Resp. I. Si per Saltum Ordinatus in Ordine ita suscepto non ministravit, potest dispensare Episcopus in Suspensione, quatenus in Ordine per Saltum suscepto ministrare valeat, ita tamen ut prius Ordinem omisum recipiat c. un. h. 1. ibi: Mandamus, quatenus consignant penitentiam pro hujusmodi negligentia injungas eidem, quòd per illi ipsum in Diaconum (cujus Ordinem omiserat) ordinare procuret, & sic de misericordià eundem ministrare permittas in Ordine Sacerdotii per Saltum suscepto, & Concilium Tridentinum Sess. 23. de Reformat. cap. 14. ibi: Cum promissis per Saltum, si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare.

- 9. Resp. II. Si per Saltum promotus, ante dispensationem ministraverit in Ordine ita suscepto, non potest Episcopus dispensare in Suspensione, nec in Irregularitate ob ministratorem juxta dicta num. 5. contracta, nisi delictum sit occultum. Patet Conclusio ex Concilio Tridentino loc. cit. à sentia contrario; Ex hoc enim quòd dicat Concilium, si non ministravit, potest Episcopus dispensare; bene inferitur, ergo si ministravit, dispensare non potest.

Dicitur autem notanter nisi delictum sit occultum; hoc enim ubi est, tam in Irregularitate, quam Suspensione dispensare valet Episcopus vi Concilii Tridentini Sess. 23. de Reform. cap. 6. ibi: Liceat Episcopis in Irregularitatibus omnibus, & Suspensionibus ex delicto occulto provenientes &c. dispensare.

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem susceperit.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio Ordinis.
- 2 Furtivè Ordinem suscipere quis dicatur?
- 3 Furtivè Ordinem suscipiens illicitè quidem, tamen validè ordinatur.
- 4 Nisi Ordinans intentionem, vel protestationem faciat, & notificet non ordinandi Furtivè se ingerentes.
- 5 Et hanc posse à non revocari.
- 6 Si Episcopus præmittit intentionem vel protestationem non ordinandi Furtivè se ingerentes, censetur in dubio serid facere, consequenter talis invalidè ordinatur.
- 7 Solvitur ratio in contrarium: Et num. præced.
- 8 In dubio valoris Sacramenti, iterandum est. Ibid.
- 9 Non est consultum, ut Episcopus præmittat intentionem non ordinandi Furtivè se ingerentes, bene verò id sub Excommunicatione prohibeat.
- 10 Furtivè suscipiens Ordinem est ab illo suspensus.
- 11 Ac etiam irregularis, si contra præviam sub Excommunicatione factam prohibitionem id facit.
- 12 Qui eodem die præter minores etiam Subdiaconatum, vel cum hoc etiam Diaconatum Furtivè suscipit, suspensus, non irregularis est.

Et quando



quando solus Papa, aliquando etiam solus Episcopus dispensare potest. Et quando? ac num. seq.

1. Ordinem Furtivè plerumque suscipiant illi, qui per Salum ordiantur; hinc recto ordine præcedent præsentis Titulus sequitur.

2. Dicuntur autem Ordinem Furtivè suscipere, qui vel in examine rejecti, vel sine examine, simulque sine licentia seu consensu Ordinarii doctosè & furtivè se ingerunt cæteris Ordinandis, can. Quando. 5. dist. 24. can. Extra. 5. dist. 64. vel qui eadem die Minores cum Subdiaconatu, vel duos Majores Ordines simul Furtivè, & sine licentia requisita accipiunt c. 2. & 3. h. t. De quibus

3. Quæritur I. An Furtivè suscipientes Ordinem non tantum illicitè, sed etiam invalidè ordinentur? Resp. Quamvis certum sit, hujusmodi suscipientes graviter peccare utpote præceptum Ecclesiæ in gravi materia transgredientes, tamen Ordo Furtivè susceptus validè confertur, nisi Ordinans seriam haberet intentionem non ordinandi Furtivè se ingerentes, seu absque licentia Ordinarii accedentes Communis Doctorum arg. c. 1. h. t. ubi Furtivè ordinatus non amplius jubetur ordinari, & sublata Censurâ, quam incurrit, permittitur ministrare, manifesto argumento, Ordinem Furtivè collatum valere.

4. Dicitur autem notanter, nisi ordinans seriam haberet intentionem non ordinandi &c. hanc enim si Ordinans habet, utique validè non ordinatur Furtivè se ingerens. Pithing h. t. n. 5. Rebuffus in Praxi Benefic. Tit. de Clericis ad Ordines malè promotis. Glossa 4. nu. 19. Ratio est; quia juxta unanimem & certam ad valorem Sacramenti essentialiter requiritur intentio Ministri conficientis Sacramentum; quæ, ut supponitur, non habetur, sed contraria efformatur respectu talis. Hinc benè attendendum, qualiter ante Ordinationem se habere, & qualem intentionem, protestationem, vel admonitionem formare & præmittere soleant Episcopi Ordinantes: Si enim, uti in nonnullis locis fieri solet, per se, vel Officialem Ordinandis indicant sequentem vel similem intentionem, aut protestationem: Non intendimus ordinare illos, qui non subtra examinati & approbati, vel qui furtivè se ingerunt; vel si aliquid occultè sunt innodati; vel, Protestamur, quòd notamus ordinare, qui &c. Si inquam similis intentio, vel protestatio præmittitur, eamque reverè habeat Ordinans, utique validè non ordiantur, qui per intentionem hujusmodi excludatur ob rationem numer. præced. allegatam.

5. Notant tamen Layman lib. 5. tr. 1. cap. 4. n. 6. Bonacina de Sacramentis. Disp. 2. q. 2. pu. 4. nu. 6. Hugo de Sacramentis. Disp. 8. n. 119. Henriquez lib. 2. cap. 8. nu. 5. quòd si non obstante tali præmissâ protestatione Episcopus postea nihilominus habeat intentionem ordinandi præsentem, vel faciat intentionem universalem faciendi circa præsentem personas, quòd facit Ecclesia, prævalet talis intentio priori; eò quòd præmissio hujusmodi protestationis non fit conformis ritui, & praxi universalis Ecclesiæ.

6. Quòd autem aliqui apud Lugo loc. cit. docere videantur, hujusmodi protestationes ab Ordinariis absterrendi potius, quam non ordinandi animo fieri, indeque in dubio validè ceteri Ordinandi, qui Furtivè se ingererunt, vel aliquà ex in prædictis conditionibus affecti fuèrè; & Layman loc. cit. absolute velit, tales non obstante

quacunq; simili protestatione validè ordinari, eò quòd Episcopus censetur semper habere actualem, & practicam intentionem ordinandi hominem præsentem, dicere non audeamus: Tum quia Episcopus, si reverè vult, omninò potest habere seriam intentionem non ordinandi, consequenter si eam manifestet verbis, censetur in dubio, eam serè habuisse; quia, ut dicitur l. Labeo. 7. §. 2. ff. de Suppellect. leg. Nemo existimandus est dixisse, quòd non mente agitaverit, & l. Generaliter. 13. C. De non numerand. pecun. ibi: Nimis indignum videtur, quòd sua quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, proprioque testimonio resistere. Tum quia in dubio, quando agitur de valore Sacramenti tutior eligi, ac propterea Sacramentum etiam Ordinis reiterari debet, arg. can. Presbyter. 68. ubi Presbyteri, de quorum valida Ordinatione dubium est, jubentur reordinari; sic etiam rebaptizari debet, de cujus valido Baptismo dubium est. can. Parvulus. dist. 4. de Consecrat. Sic etiam S. Congregatio respondet, consuetum in Minoribus Ordinibus debere de novo ordinari, si ratione dubii Baptismi, dubium est de valore Ordinum collatorum.

Nec in contrarium juvat ratio à Layman allata, videlicet, quòd non obstante præviâ serâ protestatione Episcopi de non ordinandis dolosè se ingerentibus, censetur tamen habere intentionem practicam ordinandi hominem præsentem. Nam contra est: Tum quòd protestatio præviâ, eaque serâ de non ordinando certâ qualitate destituta, vel affecto, accessuro, & præsentem se exhibituro, virtualiter daret, dum tali dein præsentem se præbet, adeò ut non valeat intentio actualis præsentem ordinandi, utpote que non nisi talem afficeret censetur, qui præviâ serâ voluntate non fuit exclusus; minime verò talem, quem non ordinare perseverans voluit esse; & circa quem, seu qualitates ipsius Ordinans hîc & nunc ignorantiam habet, quæ causat involuntarium, arg. l. Non idcirco. C. de Juris, & Facti ignorant. Accedit, quòd si non obstante præviâ serâ protestatione, & intentione Episcopi de non ordinandis Furtivè se ingerentibus, tales validè ordiantur, nunquam possint hi à valida Ordinatione arceri, quòd videtur absurdum. Quare non solum tutius, sed etiam probabilius, consequenter amplectendum videtur, casu, quo Episcopus veram & seriam intentionem præmittit, & notificat, non ordinandi certas personas, illas, si Furtivè se ingerant, validè non ordinari.

Notant tamen Doctores, consultum non esse, ut Episcopi intentionem, & protestationem præmittant, tales, vel tales non ordinandi: Tum quia hoc est difforme ritibus & praxi universalis Ecclesiæ: Tum quia secum trahit gravissima incommoda, & pericula, quæ ex dubia, & irritâ Ordinatione oriuntur, uti etiam benè advertit Lugo loc. cit. quamvis consultum, & Juri conforme sit, ut sub Excommunicatione prohibeat, ne se ingerant non approbati, vel ne aliqui plures Ordines eadem die Furtivè recipient, arg. c. 1. 2. 3. h. t.

Quæritur II. Quæ sint pœnæ Furtivè suscipientium Ordines? Resp. I. Qui unum, vel plures Ordines furtivè suscipit aliquo ex supra num. 2. allegatis modis, ipso Jure est suspensus ab Ordinibus ita susceptis. Communis & certa arg. c. 1. 2. 3. h. t. Quòd si Episcopus sub Excommunicatione prius prohibet, ne quis ad Ordines Furtivè se ingerat, & tamen contra præceptum illud quis agat, nec in Furtivè, nec in alitis ritibus susceptis Ordinibus licitè ministrare valet, hoc ipso, quòd

quòd sit excommunicatus, consequenter etiam sub pœna Irregularitatis actum alicujus Ordinis exercere non possit.

10. Resp. II. Quando quis non approbatus etiam post præviâ sub Excommunicatione factam Episcopi prohibitionem Furtivè Ordinem alicquem suscipit, præter pœnam Suspensionis Irregularitatem quoque incurrit. Barboza in c. 1. h. t. nu. 5. Abbas in c. Cùm H. 2. h. t. n. 2. Layman lib. 1. tr. 5. p. 5. cap. 3. n. 1. Bonacina, & alii contra Navarrum c. Alma Mater. p. 1. §. 6. n. 6. fundamentum desumitur ex cit. c. 1. h. t. ubi statuitur, quòd ita ordinatus Furtivè nequeat absque dispensatione ad altiorem Ordines promoveri; quòd est præcipuus effectus Irregularitatis teste ipso Covarruvia in Clem. Si furiosus. prin. n. 1.

11. Resp. III. Qui cæteroquin examinatus & approbatus ad Ordines Minores, vel aliquem Majorem, eodem die Furtivè se ingerendo suscipit, præter Minores Subdiaconatum vel præter hunc etiam Diaconatum, solum Suspensionem, non verò Irregularitatem incurrit. Palao de Censuris. Disp. 6. pun. 17. n. 1. Suarez de Censuris. Disp. 42. sect. 3. n. 5. Glossa in c. 1. h. t. Bonacina, & alii. Ratio est; quia contra tali modo Furtivè suscipientes Ordinem sola Suspendio, minime verò Irregularitas statuta invenitur in Jure, uti patet legenti, & consideranti textum c. 2. & 3. h. t. ubi autem Irregularitas in Jure expressè non habetur, non contrahitur, arg. sepè cit. c. 1. qui 18. de Sentent. Excommunicat. in 6.

12. Quæritur III. Quis possit dispensare in pœnis ob Ordinem Furtivè susceptum contractis? Resp. Si quis Ordinem Furtivè suscipit nullâ extante præviâ prohibitionem sub Excommunicatione, potest in Suspensione ab illo contractâ Episcopus dispensare, vel etiam Superior Regularis, si talis post Ordinem ita susceptum Religionem ingrediatur, textu expresso c. 1. & 2. h. t.

13. Si verò contra expressam prohibitionem ab Episcopo sub Excommunicatione factam Ordinem Furtivè quis suscipit, solus Papa dispensare potest, nisi talis etiam Religionem ingrediatur, & ibidem aliquamdiu laudabiliter versetur; hoc enim in casu etiam Episcopus dispensare potest, ut in Furtivè, & ritè susceptis Ordinibus ministrare, ac insuper ad Ordines superiores ascendere valet, prout clarè dispositum habetur c. 1. 2. & 3. h. t. Quòd si delictum occultum, etiam cum manente in sæculo dispensare poterit, vi Concilii Tridentini Sess. 24. de Reformat. cap. 6.

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

SUMMARIUM.

- 1. Non de cunctis, sed quibusdam duntaxat excessibus hic questio est.
- 2. Episcopi cedunt I. Si indebitis exactionibus gravantur Clericos subditos, aut inhonestè eos tractant.
- 3. II. Si eos Censuris indebitè vexant.
- 4. III. Si Beneficia indignis conferunt.
- 5. IV. Si inferiorum Prælatorum jura minuunt.
- 6. V. Si Exceptis privilegiatis aliquid præcipiunt contra tenorem privilegiorum, Cui mandato obedire non tenentur Privilegiati.
- 7. Enarrantur quiddecim Excessus Prælatorum contra Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

ira Regulares in Communi.

8. Et duodecim in specie contra Fratres Predicatores, & Minores.

9. Adducuntur etiam triginta Remissivè, & notabilis textus ex Clementina.

10. Episcopi in aliquibus contra Exemplos procedere possunt tanquam Sedis Apostolicæ Delegati.

11. Prælati Episcopis inferiores quos Excessus committunt ad propositum?

12. Prælati Regulares specialiter excedunt edificando contra formam præscriptam nova Monasteria.

13. Que forma necessaria non est, si reedificatur Monasteria ab Hæreticis, aut Infidelibus occupata.

14. Nec in reparatione, vel ampliatione Monasteriorum.

15. Neque si edificatur Monasterium in exempto loco.

16. Nullius Diocesis.

17. Bene tamen si transferatur Monasterium ab uno loco Civitatis ad alium.

18. Subditi etiam Prælati Episcopo inferiores exempti quoque peccant, si non servant Festas, & Censuras ab Episcopo indictas.

19. Item si negant, eum esse suum Dominum, aut trahunt ipsum ad Forum seculare, aut consilio vel auxilio juvant ejus adversarium.

20. Item excedunt violantè Clausuram Monasteriorum: de quo Remissivè.

SI de cunctis, quæ ad hanc Rubricam reduci possent, ageremus, præsentis Titulus amplissimus foret, hoc ipso, quòd quævis transgressio Legis à Prælato, vel Subdito facta Excessus Prælati, vel Subditi sit, & dici possit. Quare ad evitandam omnem superfluum prolixitatem, more aliorum Doctorum, eos duntaxat Excessus adducemus, qui in hoc Titulo specialiter allegantur, & alibi non examinantur. Itaque

Quæritur I. Quinam ad propositum hujus Rubricæ sint Excessus Prælatorum? Resp. esse plures, & quidem alios Episcoporum, alios inferiorum Prælatorum. Nam I. Episcopi in Inferiores sibi subditos Excessum committunt, si eos indebitis oneribus, talis, vel exactionibus gravant. c. 1. h. t. de qua materia egimus Lib. III. Tit. XXXIX. de Censibus, & Exactionibus. Item si eos inhonestè & statui Clericali inconvenienter tractent, ut forsitan propterea Laicis despicabiles reddantur, cit. c. 1. h. t. Pro quo Excessu Papa gravem minatur pœnam loc. cit. illis verbis: Scituri pro certo, quòd si rumores iterum ad aures nostras pervenerint, pro tantis excessibus vos taliter puniemus, quòd timore pœnæ nostræ ceteri à similibus abstinere. Huc quadrat etiam illud can. Esto subjectus. 7. dist. 95. ibi: Esto subjectus Pontifici tuo, quæ si animæ parentem suscipit: sed Episcopi Sacerdotes se esse noverint, non dominos, honorent Clericos, quasi Clericos, ut & ipsi, à Clericis, quasi Episcopis honor referant.

II. Excessus est, si eos Censuris indebitè vexant, eod. c. 1. h. t. quondam autem Censuræ indebitè ferantur, & quæ remedia contra eas, dicitur infra Tit. XXXIX. de Sentent. Excomm. Interea notandum, cit. c. 1. h. t. eandem pro hoc, ac priori Excessu pœnam intimari.

III. Excessus est, si Episcopi inferiorum Prælatorum jura, immunitates, jurisdictionem privilegio, consuetudine, aut alio iusto titulo eis competentem diminuunt, tollunt, aut Ecclesiis eis subjectas à subjectione & obsequio liberant, c. 2. h. t.

IV. Excessus eorumdem est, si Beneficia conferant



rant indignis c. 2. h. t. de qua materia vide supra Lib. I. Tit. VI. §. X.

6 V. Excessus est, si Episcopi privilegiatis & exemptis praesertim Regularibus aliquid praecipiant, injungunt, interdiciunt, aut prohibent, aut derogant contra tenorem suorum privilegiorum, c. Sane s. h. t. ubi etiam conceditur, quod hujusmodi indebito Episcopi mandato gravati Praelati Regularis possint autoritate Apostolica obedientiam denegare. Concordat C. cum ad quorundam. 7. h. t. ubi etiam declaratur, Excommunicationem latam contra Subditum, quia non patet contra privilegium, esse ipso jure nullam.

7 Enarrantur Episcoporum, & aliorum Ecclesiasticorum secularium contra Regulares quidem Excessus. c. Nimis in qua. 16. h. t. ibi: Nimis iniqua: & infra Cum Religiosi viri abnegantes salubriter semitibus, elegerint in paupertate Christo pauperi ad placitum famulari, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: non desunt plerique tam Ecclesiarum Praelati, quam alii, qui aetate cupiditate seducti, propria avaritia subtrahi reputantes, quidquid praedictis fidelium pietas elargitur, quietem ipsorum multipliciter inquietant. Volunt namque contra Regulam a Sede Apostolica approbatam, & sui Oranis instituta, ipsis invitatis eorum Confessiones audire, ac eis injungere penitentias, & Eucharistiam exhibere: nec volunt, ut Corpus Christi in Oratoris reservetur: & fratres ipsorum defunctos apud Ecclesias suas compellunt sepeliri, & eorum exequias celebrari: & si quis decedentium Fratrum alibi, quam in suis Ecclesiis eligat sepulturam, sanus primis ad Ecclesiam suas deferri cogunt ut oblatio suis usibus cedat. Nec sustinentes eos habere campanam, vel Cimiterium benedictum, certis tantum temporibus permittunt ipsos celebrare Divina. Volunt quoque in domibus eorum certum numerum Fratrum, Sacerdotum, Clericorum, & Laicorum, nec non cereorum, lampadum & ornamentorum, pro voluntate sua taxare, ac residuum cereorum, quando noviter opponuntur, exigunt ab eisdem. Nec permittunt, quod novi Sacerdotes eorum alibi, quam in Ecclesiis suis celebrent primas Missas eos nihilominus compellentes, ut in quotidianis Missis, quas in suis locis & altaribus celebrant, oblationes ad opus eorum recipiant, & reservent: quidquid etiam eis, dum celebrant Missarum solemnia, intra domorum suarum ambitum pia fidelium devotione donatur, ab ipsis extorque oblationis nomine consentientes, quod eisdem tam in ornamentis Altaris, quam in libris Ecclesiasticis absolute consentitur, vindicant perperam juri suo. Quocirca mandamus quatenus universi & singuli a praenotatis gravaminibus desistat, subditos vestros ad hujusmodi artibus compescendo.

8 Ulterius c. Nimis prava. 17. eod. enarrantur Praelatorum Ecclesiasticorum secularium Excessus & gravamina contra Fratres Praedicatorum, & Fratres Minores in specie. Nimis prava: & infra: Cum quidam viri Religiosi ut puta, fratres praedicatorum & Minores (quorum Ordinem & Regulam Sedes Apostolica noscitur approbasse) in arctissima paupertate Christo pauperi famulentur, plerique Praelati, & alii eos ad Synodos suas cogunt accedere, ac suis constitutionibus subjacere, nec bis consenti Capitula servituta in locis Fratrum pro his corrigendis facturos se committantur, fidelitatem juramento firmatum ab eorum Ministris & Custodibus exigentes: eis quoque, ut tam extra Civitates quam intra eam eis professionaliter veniant, ex levi causa mandantes, Excommunicationis sententiam fulminant in Beneficentiores ipsorum: & idipsum Fratribus commi-

nantes, eos de locis, in quibus Domino famulantur, fatigant amovere, nisi eis obediant in omnibus supra dictis. Ad hoc ne Fratres ad honorabiliores Civitates, & villas, ubi Religiose & honeste valeant commorari, a populis devote vocari accedere audeant inhibentes, tam in accedentes Fratres, quam in receptores eorum praesumunt Excommunicationis sententiam promulgare. Ab eis etiam de hortorum fructibus Decimas, necnon de habitaculis Fratrum (sicut de Judaeorum domibus) contendunt redditus extorque: afferendo, quod nisi Fratres morarentur ibidem, ab aliis habitatoribus proventus aliqui solvantur. Et ut ipsos suas subdant totaliter ditioni, eisdem Ministros & Custodes volunt praeficere pro sua arbitrio voluntatis. Quocirca mandamus, quatenus universi & singuli a praenotatis gravaminibus desistat, subditos vestros ad hujusmodi artibus compescendo.

9 Insuper Clem. un. h. t. triginta hujusmodi Excessus adducit, quibus adductis generaliter concludit, ut sequitur: Et generaliter, quamplures Praelati Religiosi, praesertim exemptis & Privilegiatis in personis & rebus suis ac iuribus, ac Spirituibus & temporalibus graviter inferunt, contra iustitiam & eorum privilegia, injurias ac iacturas. Verum quia una est regularium & secularium Praelatorum, & Subditorum exemptorum & non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides, & unum Baptisma: decet ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unus etiam sint voluntatis, & sicut fratres ad invicem vinculo charitatis sint adstricti. Decet igitur, ut & Praelati & alii tam exempti, quam non exempti suis iuribus sint contenti, & alter in alterius injuriam non proficiat seu iacturam. Universis itaque Praelatis Ecclesiarum praesentis sanctionis editio districte praecipiendo mandamus, quatenus ipsi a praedictis gravaminibus omnino cessantes, & cessare suos subditos facientes, viros Religiosos exemptos, privilegiatos, & non exemptos mendicantes & non mendicantes, charitative tractent & seveant, & sua jura & privilegia inviolabiliter eis servent. Et quoniam plus solet timere, quod specialiter, quam quod generaliter inhibetur, eisdem Praelatis districte inhihemus, ut Abbates, Priores, & alios Religiosos, ne ad sua Generalia, vel Provincialia vadant Capitula, impedito quomodolibet non praesumant.

10 Fatendum tamen, quod in nonnullis casibus Episcopi tanquam Sedis Apostolicae Delegati non obstantibus Regularium privilegia possint procedere contra illos vi Concilii Tridentini, per quod, uti etiam per aliquas Constitutiones Pontificias quaedam eorum privilegia fuerunt revocata: quaedam autem illa sint, dicemus infra Tit. XXXIII. de Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

VI. Faciunt etiam Excessus aliquos Praelati Episcopis inferiores, si sibi subiectas Ecclesias propria autoritate uniant, c. Sicut. 8. h. t. Ceterum quid Juris de unione Beneficiorum, habes supra Lib. III. Tit. XII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminut. §. III. Item si praesumunt cognoscere & iudicare de causis Matrimonialibus, vel concedere indulgentias, vel imponere penitentias publicas; quia hi actus ad solam pertinent dignitatem Episcopalem, nisi Abbates, vel alii Praelati Episcopis inferiores ex privilegio Apostolico, vel legitime praecipia consuetudine aliud quid Jurisdictionis circa habeant. c. Ad audientiam. 12. h. t.

VII. Committunt Excessus Praelati Regulares, 12 dum contra formam a Jure & Constitutionibus Pontificiis praescriptam aedificant Monasteria. De qua materia vide Lib. III. Tit. XL. §. II. Dicitur tamen

tamen ibidem pauca hic addenda, videlicet, quod forma ibidem praescripta, & consequenter etiam consensus Ordinarii necessarius non sit:

13 *Primo*, quando reaedificantur Monasteria ab Haereticis occupata, & destructa. Donatus p. 2. tr. 1. q. 24. Roderiq. Tom. 2. q. 49. & 99. Lezana y. Monasterium. nu. 49. & alii. Ratio est; quia per hanc reedificationem jus novum non acquiritur, cum jus antiquum per Haereticorum usurpationem non extinguitur.

14 *Secundo* eadem forma & consensus necessarius non est in reparatione, reedificatione, & ampliatione Monasteriorum. Donatus loc. cit. q. 23. Roderiq. loc. cit. Glossa in can. Monachus. cau. 13. q. 2. Ratio est; quia Jura cit. Lib. III. Tit. XL. §. II. allegata loquuntur de erectione novi Conventus, quo novum jus novaeque titulus in aliquo loco acquiritur, quod cum non fiat in reparatione, & ampliatione Monasterii, ad hanc praeserta Jura utpote poenalia & odiosa extendenda non sunt.

15 *Tertio*, quando aedificatur Monasterium in loco exempto, & nullius Diocesis existente. Laurent. de Franch. p. 1. *Converser. inter. Episc. & Regular. nu. 495.* Ratio est; quia neque antiquiora, nec recentiora Jura consensum Ordinarii, & alia ad tale Monasterium requirunt: cum Concilium Tridentinum licentiam Ordinarii requirat duntaxat ad erectionem Monasterii in ejus Diocesi: Constitutio vero Clementis VIII. Quoniam §. 1. in locis eorum ordinariae Jurisdictioni subiectis.

16 Dicitur autem notanter, & nullius Diocesis, casu enim, quo locus quidem exemptus certae tamen Diocesis existit. forma praescripta omnino servanda est. Donatus loc. cit. q. 40. Cochier. de Jurisdictione Ordinarii exemptis. p. 2. q. 45. n. 36. arg. Concil. Trident. Sess. 25. de Regularib. cap. 3. & c. *Autoritate de Privileg. in 6. ubi expressè habetur: Inhihemus ne in locis etiam exemptis hoc ipsi exempti facere audeant.*

17 Putat quidem Roderiquez Tom. 2. q. 40. art. 9. etiam in casu, quo in eadem Civitate transferitur Monasterium ab uno v. g. minus commodo, aut sano loco ad alium locum non requiritur consensus Episcopi, eo quod Jura hunc requirentia tantum de erectione novi conventus loqui videamur; nihilominus contraria sententia, quam tenet Donatus loc. cit. q. 26. Bordonus Miscell. Decisio. 125. & alii, probabilior, & in praxi amplectenda est. Ratio est; quia consensus Episcopi ad talem translationem requiritur Jure antiquo, can. Si quis vult. 41. cau. 16. q. 7. ibi: Si quis vult Monasterium suum ad meliorandum in alium locum ponere, sicut cum consilio Episcopi, ubi per Consilium intellige consentium facient omnes Doctores teste Donato. Jura autem nova cum antiquum non correxerint, ab illo interpretationem recipiunt. Accedit bina declaratio Cardinalium in favorem hujus doctrinae edita, de qua testatur Donatus loc. cit. n. 7.

18 Queritur II. Quinam ad propositum hujus Rubricae speciales hic notati sint Excessus Subditorum. Resp. Sequentes videlicet, I. Quando Subditi, etiam ceteroquin Praelati inferiores tamen Episcopo, indicatis ab eo Festivitates, & Censuras latas non observant, c. fin. h. t. & Concil. Trident. Sess. 25. de Regular. cap. 12. Siguidem Regulares exempti in his obediunt tenentur Episcopo, prout amplius dicitur et Lib. I. Tit. XXXI. de Offic. Judic. ordinari. n. 126.

19 II. Excedunt Clerici Episcopis subditi, si negant Episcopum esse Dominum suum, cum si agant contra fidem Homagii, reverentiae, & obedientiae Reiffenjuel Jus Can. Tom. V.

in recipiendis Ordinibus, vel Beneficiis promissis. Item si in causa spirituali vel Ecclesiastica illum trahant ad Forum Seculare, vel auxilio juvant; prout refertur c. Gravem. 15. h. t. ubi etiam jubetur Beneficio privari, qui aliquem ex his rebus Excessibus contra Episcopum committit, Glossa. fin. ibid. Pithing h. t. n. 31. & 32.

III. Excedunt Clerici privati alicujus Communis si absque licentia Superioris sibi faciunt, & usurpant Sigillum Communitatis, c. Delicta. 12. h. t.

IV. Fit Excessus tam a Regularibus, quam Saecularibus Praelatis, & inferioribus utriusque sexus, si violantur Clausulae Monasterium per ingressum vel egressum: de qua materia vide Lib. III. Tit. XXXV. De statu Monachorum. §. II.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione,

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Nuntiatio novi Operis quid?
- 3 Fit circa sola futura, seu nondum perfecta opera.
- 4 Censetur autem novum Opus facere, non solum qui aedificando, sed etiam qui destruendo, ampliando faciem Operis mutat.
- 5 Intellige in Operibus solo adhaerentibus.
- 6 Nuntians novum Opus potest, sed non tenetur acceptare ab aedificante cautionem de Opere destruendo, si jure non sit aedificatum.
- 7 Solvitur Obiectio.
- 8 Nuntiatio novi Operis fieri potest a quovis etiam privato, cujus interest.
- 9 Idque tribus modis, videlicet, vel verbis, vel jactu lapilli, vel per praetorem.
- 10 Si quis in nostro aedificat, melius est per Praetorem, vel jactum lapilli, quam solis verbis nuntiare novum Opus; & quare?
- 11 Ad Nuntiationem novi Operis non requiritur certa verborum forma, potestque fieri per Substitutum.
- 12 Et quovis etiam Feriato die, dummodò fiat in vel propè locum.
- 13 Potest fieri contra quemvis etiam proprium Superiorem.
- 14 Sive dein in suo, sive in alieno in praedictum alterius aedificet.
- 15 Datur etiam contra aedificantes Capellam, vel aliud aedificium pium.
- 16 Nisi hoc ex justa culpa per Episcopum cognita, coque concedente erigatur.
- 17 Nuntiatio ex tribus causis fit.
- 18 Cui nuntiatum novum Opus, illic tenetur destruere ab aedificio, vel propriis expensis destruere, quod post nuntiationem aedificavit, etiam opus pium.
- 19 Sive dein justè, sive injustè aedificavit.
- 20 Quin ante omnem cognitionem judicalem, non jure aedificatum sit, destruere debet aedificium.
- 21 Is, cui nuntiatum novum Opus, debet expectare per tres menses.
- 22 Si quis in eo, quod possidemus, aedificat, possunt proprii auctoritate etiam per vim impedire aut destruere.
- 23 Vin vi repellere omnia Jura permittunt.
- 24 In suo aedificantem nemo privata auctoritate violenter impedire, aut aedificatum ab eo destruere potest.